

ZOETENDAAL B.M.V.

Vallis Dulcis, Vallis B. M. V., Zueten-, Zotendael, -dale; Cappelkin¹⁴¹).

Vitetur confusio cum canonia Zoetendaal O. S. A. prope Gandavum in Belgio, et cum variis Vallibus B. M. V. (v. apud Circariam Frisiae).

In vico Serooskerke, Zeeland, non longe a Middelburg. Usque ad annum 1559 et ab anno 1853 Dioc. Utrecht, 1559/74 Dioc. Middelburg. — Neerlandia.

Asceterium, praepositura. Fundata est, anno 1215 in Heille prope Aardenburg (Zeeuwsch Vlaanderen). Certum est, foundationem huius asceterii esse in aliqua connexionem cum monialibus Sti. Michaelis Antwerpiensis, quia in omnibus catalogis est insertum tamquam filia huius abbatiae. Videtur pars earum sedem fixisse in Heille, altera pars autem in Zandvliet, de quo vide supra. Dum ultimae sorores Zandvlietenses partim forte se iunxerunt novellae plantationi in Valle Stae. Catharinae, Heillensis communitas translata est circa annum 1248, in Serooskerke, ubi forte se iunxerunt sororibus abbatiae Middelburgensis, quam initio fuisse monasterium duplex vix est dubium, etsi authentice hac de re nihil constet, nec de sorte sororum. Quae hypothesis forte confirmatur facto, quod, ultimis saeculis, jus paternitatis in asceterium abbatibus Middelburgensi et Sti. Michaelis erat commune. Ambo confirmationi et installationi praepositorum interesse solebant. Anno 1476, in Valle Dulci fuerunt 18 sorores. Anno 1572, devastata est ab haereticis, Middelburgum obsidentibus. Quatuor moniales tunc tetenderunt Lovanium, reliquae Antwerpiam. Anno 1576 monasterium pretio 2400 florenorum est venundatum, nullum aedificium superest.

Archivalia: Rijksarch. Zeeland, Middelburg (cf. FRUIN, AAMidd I 123, 314, 667, R. 251, 402, 683, 742, 1557) — AAPa XLII 5 (de validitate professionis sororis cuiusdam).

Fontes et Litteratura: HUGO II 1025 — WAEFELGHEM 282 — v. d. AA X 515 — BROM *Bull. Traj.* nr. 2079 — IDEM, *Arch. in Italie* I 1605 — GAN III 105 — HEERINGA II 504 — v. HEUSSEN, *Middelburg* 37 — OBStUtr III 30, 445 — OHZ I 504 — RÜMER I 85, 463, II 266, 272 —

¹⁴¹) Sic vocatur in omnibus fere catalogis Ordinis. Non patet, ad quem locum refert, utrum ad Heille, an ad Zoetendaal, an forte ad tertium quendam, quo asceterium ad tempus fuerat translatum.



H. v. R. IV 72 — MIRAËUS: *Chron. Praem.* 35 — MOLL II 2, 30, 182 —
Mon. Bat. II 172 — Vide supra apud Middelburg: ERMERINS 168, 170, 173,
 175 — LANTSHEER NAGTGLAS I 747/48 — De STOPPELAAR cf. ind.

Praepositi

Wilhelmus	1249, 1266. 1272	BBH 1888, 186
Simon v. Oostcapelle	1326	FRUIN, AAMidd 191
Wouter Simonis	1412, † 1418	AAA MS 116, 40
Nicolaus Klaassen	1418—	BBH 1888, 177
Martinus	1438	AAA MS 116, 57
Cornelius Olardus	—1449	ibidem
Adrianus Jansz Mengaretzen	1449—	ibid.
Joannes	1465	BBH 1888, 186
Jacobus Janszoon	1476	H. v. R. IV 72
Joannes v. Weert (postea abbas Sti. Michaelis)	1484/86	FRUIN o. c. nr. 941
Wilhelmus Jacobszoon	1496	BBH 1888, 186
Petrus Claeszoon	1504	H. v. R. I. c.
Joannes v. Heusden	1556/70	FRUIN o. c. 1492
Dionysius Feyten (postea abbas Sti. Michaelis)	1578—92	H. v. R. I. c.
Petrus Malcotius	1592/99	H. v. R., I. c.

DUBIA ET PRAETERMISSA

Difficile sunt discernenda monasteria incerta in hac circaria, numquid adsit aliqua probabilitas, ea fuisse domus formatae, et revera Ordinis nostri. Praesertim haud facile est dictu, in quantum magnae curiae, praepositurae et prioratus rurales considerari possint ut vera monasteria, et quam diu. Ideo inserimus „Dubia et Praetermissa“ coniunctim.

ALKMAAR St. Magdalena (Wittezusterenhof)

in Hollandia Septentrionali. Secundum GAN I 313 erat asceterium Ord. Praem., quod tamen ex nullo fonte authentico confirmatur. Probabilius erat domus paenitentium Ord. Stae. Magdalena. (Vide quod infra dicemus apud Utrecht Wittevrouwen) — ROMER I 71, 670, 679 dicit fuisse Ord. Stae. Magdalena.

BREST

Dioc. Utrecht, in Gelria. Secundum HUGO I 882 (cf. WAEFELGHEM 45) erat prioratus abbatae Marienweerd. Revera erat mera curia, nomine Beesd, in quo vico sita erat abbatia ipsa, cf. *Mon. Bat.* II 29

CULENBORG St. Ursula

Asceterium, praepositura sub Marienweerd. Invenitur tantum apud De La TORRE (AAU X 1882 202), unde hausit HUGO annalista noster I 882. Est aperta confusio cum praepositura Kessel, de qua infra.

DIEST St. Sulpitius

Stus. Sulpitius Diesthemensis.
Oppidum in Brabantia, non longe a Lovanio, Dioc. Leodiensis, nunc Mechliniensis.
Praepositura, allata a HUGO II 751, et a WAEFELGHEM 251. Non tamen considerari potest ut vera domus Ordinis nostri. Abbatia Tongerloensis totam curam animarum in civitate possedit. Anno 1457, Henricus abbas huius coenobii, apud ecclesiam principalem Diesthemii, nempe Sti. Sulpitii, condidit capitulum collegiale pro sacerdotibus saecularibus,

cuius praepositus vero, vi instrumenti foundationis, semper erat canonicus Tongerloensis. Suppressa est haec praepositura anno 1797.

Vide F. J. RAEYMAEKENS, *Notice historique sur l'église primaire de St. Sulpice à Diest*, MSHB XVIII (1857), XX (1858) t. à p. — v. BOTERDAEL 16 — v. GESTEL I 235/39.

GUVENS

Parthenon, filia Parthenensis, in dioc. Leodiensi. Sic habet Lairuelz, et HUGO I 789, immo et WAEFELGHEM 105 secuti sunt eum. Est corruptela pro Gempe, filia Parcensis.

HEESWIJK

in Brabantia Septentrionali (Neerlandia), Dioc. Utrecht, nunc 's Hertogenbosch. Secundum HUGO I 336 et 809, sequentibus WAEFELGHEM 110 et aliis, ibi erat praepositura, filia abbatis Bernensis, fundatum anno 1196 ab Alberto de Dinther et Amalrico de Heeswijk. Reapse erat mera curia dictae abbatis, quae saeculo XIII generatim vocabatur „Bernheze“. Saeculo XVI, ibi constructum est ab abbate Conrado v. Malsen parvum castellum, in quo, anno 1857, communitas vitam conventualem restauravit.

Vide supra apud Berne.

HONSWIJK

in Rijswijk onder Woudrichem, in eadem provincia ac dioecesi quibus supra. Secundum *Mon. Bat.* II 99, erat ibi praepositura abbatis Bernensis. Revera, pariter ac Heeswijk, nihil erat nisi curia.

Vide supra apud Berne (*Berneboek* 17)

KESSEL SS. Ursula et XI mill. Virg. Mart.

Ad Mosam prope Roermond, in Limburgo neerlandico, Dioc. Leodiensis, nunc Ruremundensis.

Curia, nomine praepositurae insignita, dependens ab abbatis Marienweerd. Fundata est anno 1219 ab Henrico comite de Kessel, in coemeterio ecclesiae parochialis loci. In instrumento foundationis expresse sta-

tuitur, praeposituram esse administrandam ab uno canonico Insulae Stae. Mariae. Ergo vix est supponendum, ibi umquam fuisse domum formatam, et probabiliter descriptio praepositarum Altforst¹⁴²⁾ et Kessel, quam legimus in epistola quadam ex anno 1562¹⁴³⁾, referenda est ad totam historiam illarum: „... non enim habent formam monasteriorum, sed tantummodo privatarum domuum, et nec illa praepositura, nec ista habet aut a saeculo habuit nisi unicum religiosum possessorem temporalium bonorum, qui certe praepositi nomen falso gerit, quia nullis praesidet aut praeponitur nisi forte animalibus gradientibus circa forum domus suae. Neuter quoque habet se pro obstricto ad ullum ministerium ecclesiasticum, nisi ad certas quasdam missas, ille ad XL in anno, iste ad tres singulis hebdomadis.“

Anno 1561, praepositura data est decano Episcopatus Ruremundensis in dotationem. Ultima residua aedium evanuerunt anno 1804.

HUGO II 341 et I 882, sicut et WAEFELGHEM 242 et 266 confusa proferunt de ambabus praepositis. — *Mon. Bat.* II 108.

MAARSBERGEN

Meers-, Mersberg

Prope Utrecht, versus occidentem. — Dioc. Utrecht, in Neerlandia

Curia abbatiae Bernensis, pertinens ad bona eius fundatitia. Fieri potest, ut ibi initio fuerit domus formata cum vita vere regulari; anno enim 1189, verbum fit de „conventu in Mersberg“, et anno 1218, memoratur „ecclesia in Mersberg et curia tota“. Forte ibi ad tempus fuerunt etiam moniales. Authentice nihil constat, sed videtur haec fundatio omni modo normam curiae ordinariae excessisse, ad instar v. g. curiae de Bakkeveen in circaria Frisiae. Cum Maarsbergen esset devastata anno 1429, Ingramus abbas Bernensis (1457/61) habuit intentionem, eam reconstruendi ut domum vere formatam, quia, ut asserit, „antiquitus fuit monasterium et locus specialiter sanctus“. Quam tamen intentionem abbas non deduxit in praxim. Abhinc bona ibidem sita administrata sunt a praeposito ad nutum abbatis Bernensis, qui in omnibus aequiparari solebat praepositis parthenonum. Saeculo XVII, Maarsbergen ad tempus fuit refugium con-

¹⁴²⁾ De qua vide supra apud Woerd.

¹⁴³⁾ Orig. in AGR, edita in *Publ. Limbourg XVII* (1880) 187 sq.

ventus Bernensis. Anno 1623, saecularizatum est a gubernio, nihil de aedibus superest. Loco eius nunc est castellum.

Archivalia vide Berne, quod valet etiam pro

Litteratura: Specialia: HUGO I 336, II 237 — WAEFELGHEM 163 — OHZ Suppl. 5, 59, 82, 102 — GAN I 383 — *Mon. Bat.* II 118 — AAU XIX (1892) 167

MONSTER

in Zeeland, non longe a Middelburg. Secundum Hugo II 391, et WAEFELGHEM 171 erat prioratus conventualis, dein versus in parochiam. Erat praecipua inter parochias abbatiae Middelburgensi incorporatis. Fieri potest, quod degerit ibi, saeculo XIII, parva communitas canonicorum, sed probabilius haberi nequit tamquam domus vere formata. Vide de ea apud Middelburg.

NAALDWIJK St. Georgius

in vico Heimont, in Geldria, Neerlandia. Dioc. Utrecht.

Apud GAN I 264 legimus: „Capellae Sti. Georgii in Naaldwijk, erectae anno 1213 per abbatiam Marienweerd, postea monasterium Ordinis, vulgo De Lee, adiungitur, quod anno 1408 iterum supprimitur“. Non elucet, quo ex fonte hoc concludatur. Authentice patet, in Naaldwijk sive Heimont abbatiam Insulanam multa possessisse bona, et eam ibi instituisse curiam est probabile. Anno 1408, omnia alienavit. Nihil probat ibi fuisse verum monasterium.

FREMERY, *Cartularium Marienweerd* 367 — OHZ Suppl. Nr. 9/14 — *Mon. Bat.* II 133 — BBH XXV (1900) 74

NOORTDIJK (St. Nicolaus)

Camera B. M. V. — In Zeeland, prope Domburg, in Neerlandia. Dioc. Utrecht.

Asceterium Cisterciense, fundatum in Emelisse ante annum 1241, anno 1288 translatum est in Waterloosverwe in insula Walcheren. v. MIERIS II 369 erronee putat has moniales fuisse Ord. Stae. Clarae. H. v. R. IV 93 putat, eas fuisse Ord. Praem.: „occurrit enim hoc monasterium in archivis abbatiae Sti. Michaelis Antwerpiensis sub nomine abbatiae Sti.

Nicolai in Middelburg“. Quem errorem, absque dubio nitentem confusione quadam, transsumpsit HUGO II 367, et post cum WAELFELGHEM 244.

Vide OHZ II 73, 459, 466 — *Mon. Bat.* III 32 — RÖMER I 308 — v. HEUSEN, *Middelb.* 37

RENISSART

Reinirsart, Renisartum, Reyniersart

in oppido Arquennes, in Hannonia, Dioc. Tournai, in Belgio.

Curia abbatae Ninivensis, cum prioratu, fundatus versus annum 1150 a toparchis loci. Initio videtur fuisse domus formata, erat enim, ut scribit abbas quidam Ninivensis saeculo XVII, „antiquitus vasta sicut abbatia, cincta muris. Ibi habitabat magister curiae cum 9 vel 10 conversis“. Ultimis saeculis ibi erat unus canonicus tantum.

Archivalia et Litteratura: vide apud Ninove. Specialia: WAELFELGHEM 207 — BERLIÈRE, *Mon. Belge* I 420/22 — LEROY II 11/12 — U. BERLIÈRE, *Le prévôté de Renissart, à Arquennes*, ACAM XXVIII (1898) 193/218

RUNKELLEN St. Andreas

Runkeren, Runcherium, Rinkerem, Runckirs

non longe a St. Truiden, in Belgio, Dioc. Leodiensis.

Prioratus abbatae Parcensis, qui probabiliter in eadem conditione erat qua domus supra memoratae. Giselbertus, comes de Duras, obtulit abbatae Parcensi ecclesiam in Runkelen, ad instituendum ibi prioratum Ordinis. Quod approbavit episcopus Leodiensis, anno 1134, et Innocentius Pp. II, anno 1142. Saeculo XIII, exorta est lis inter canonicos de Runkelen et moniales Ord. Cist. de Orientem, quia istae nimis prope fundaverant domum suam, quod contrarium erat conventioni inter duos ordines factae. Quae lis decisa est a Gregorio IX, Summo Pontifice. Postmodum derelictus est prioratus, et partim in eremiam versus, in festo tamen Sti. Andreae quotannis canonici Parcenses sollemnem missam ibi celebrabant.

Archivalia: Cartularium Parcense A 11, et B 12, 33/35 (AAPa) — Manuale van Runkelen 1759 (AGR no. 95, Abb. du Parc)

Litteratura: vide Parc. — Specialia: DARIS HistDPL 499 — JANSEN, *L'abbaye du Parc* 68/69, 154/55 — BGHB II (1903) 423

ST. JANSBERG St. Joannis et Jacobi

Mons Beati Joannis in Eike

prope Maaseik in Belgio, prov. Limburg, Dioc. Leodiensis.

Abbatia, quae videtur fuisse fundata ante annum 1144 a Waltero canonico Sti. Gereonis Coloniensis, et fratre eius Huberto. Quo anno 1144 Giselbertus, abbas novi coenobii, obtinet confirmationem papalem. Non constat, cuius ordinis hoc monasterium fuerit, nec a quam abbatia habuerit ortum. Quae referunt varii auctores inde a saeculo XVII, de fundatione per abbatiam Averbodiensem, sunt spuria¹⁴⁴).

Anno 1155, abbatia in Monte Sti. Joannis iam desierat, hocque ut videtur, propter machinationes Sigeri cognati fundatorum, donationem ab illis factam recognoscere nolentis. Quae abbatia fuisse Ordinis nostri, est possibile, sed probari nequit, immo est parum probabile. Necrologia enim abbatiarum nostrarum saeculo XII generatim primos abbates, et pluries etiam alios abbates et religiosos canoniarum Ordinis saltem vicinarum enumerant. Atqui de Monte Sti. Joannis in omnibus necrologiis, sicut in aliis fontibus Ordinis, viget silentium¹⁴⁵).

Anno 1155, Walterus et Hubertus, fundatores supradicti, curiam quam habebant in Monte Sti. Joannis, donant abbatae Averbodiensi, quae eam vertit in grangiam. Est probabile, hanc curiam fuisse idem quod abbatia desolata. Siger, qui post obitum Walteri et Huberti factam donationem impugnaverat, „multis contumeliis fratres ibi manentes affecit et inde fugavit, ipsamque curiam non solum depraedari, sed etiam concremari non dubitavit“; paenitens vero anno 1162 omnia bona, excepto praediolo, quod ipsi curiae adjecerat, abbatae Averbodiensi obtulit. In Monte Sti. Joannis restat sacellum saeculi XII, quod forte ultimum est residuum abbatae et curiae.

Litteratura: HUGO I 222 (mera citatio) — WAEFELGHEM 281 — V. v. GENECHTEN, *Werd St. Jansberg door Averbode gesticht? (Anal. Praem. XI, 1935; 27/43)* — JAFFE 8000, 8490 — MIRAEUS *Chron. Praem.* 88 — O. ROBYNS, *De Hoeven van St. Jansberg bij Maaseik (Limburg XII 1931, 205/10)*. R. LEMAIRE, *Les origines* (v. supra apud Park) I 61 — Bull. Métiers d'Art I (1901/02) 212.

¹⁴⁴) Ut nitide probat V. v. GENECHTEN l. c.

¹⁴⁵) Catalogo uno est adscripta, nempe P, tamquam interpolatio saeculi XVII.

UTRECHT S. Mariae Magdalенаe

Wittevrouwen, Conventus Beate Marie Magdalene Albarum Dominarum in Ultrajecto.

Asceterium fundatum ante annum 1223¹⁴⁶⁾. Fuit ab origine Ordinis Paenitentium Stae. Mariae Magdalенаe¹⁴⁷⁾; tamen, nullo argumento allato, auctores recentiores hanc domum adscribere solent Ordini nostro. Nullibi invenitur ne tenuissimum quidem vestigium, hoc asceterium umquam habuisse relationes cum illo. Deest in omnibus catalogis Ordinis, ceterique fontes illius pariter alte de eo silent. In archivis satis amplis canonicarum vicinarum Ordinis nostri, scilicet Marienweerd, Middelburg, Berne et Koningsveld, ne memoratur quidem¹⁴⁸⁾. Vicarii eius erant ex clero saeculari, et videntur fuisse nominati a praeposito ecclesiae cathedralis. Confessarii eius postremo erant Fratres Praedicatores.

Indicia vero, probantia hanc domum pertinuisse ad Ordinem Stae. Mariae Magdalенаe, extant multa. Inveniuntur duo sigilla, aut circumscriptione aut imagine hoc demonstrantia, praesertim vero charta quaedam ex anno 1307, quae est confecta nomine „priorissae totiusque conventus beate Marie Magdalene albarum dominarum in Ultrajecto“¹⁴⁹⁾. Erecta fuit apud ecclesiam monasterii confraternitas Stae. Magdalенаe, cuius festum videtur fuisse celebratum magna cum pompa. Existencia alterius cuiusdam

¹⁴⁶⁾ Hoc anno, „quaedam puellarum, videlicet Albarum Dominarum, habitacula devastantur“ (MATTHAEUS *Anal.* II 604)

¹⁴⁷⁾ Hic ordo, gallice „Madelonnettes“, in Neerlandia ubique vocabatur „Wittevrouwen“, id est, Albae Dominae. Quae designatio ibi hinc inde etiam applicabatur aliis sororibus albis vestitis, sed numquam, in quantum reperire potuimus, monialibus Ordinis nostri. De ordine Poenitentium vide A. SIMON, *L'Ordre des Pénitentes de Ste. Marie Madeleine en Allemagne*, Fribourg 1918 (asceterium Ultrajectense nescit), et LTK VI 775.

¹⁴⁸⁾ Forte et sequens eventus, non quidem ad problematis solutionem, sed ad elucidandum illud aliquomodo contribuere potest: Ethelgerus abbas Horti Stae. Mariae (1242/59), per aliquot tempus commoratus est Ultrajecti. Fuscus describitur in *Gestis Abbatum* 198, quid ibi egerit, minute verbum fit de eius relationibus cum monialibus OSB de Oudwijk, sed de Albis Dominis siletur. Si revera tunc pertinuissent ad Ordinem nostrum, Ethelgerus probabiliter eas adisset.

¹⁴⁹⁾ Rijksarch. Utrecht, Arch. Cap. Sti. Joannis no. 370. Notandum est, patrocinium Stae. M. Magdalенаe tunc temporis fuisse restrictum ad monasteria paenitentium. Vix invenitur, saltem in Neerlandia, hoc saeculo asceterium alius ordinis, huic sanctae dedicatum.

asceterii pro paenitentibus in civitate, eidem Stae. Magdalenae sacri, probat contra nostram hypothesim, econtra eam confirmat. Alterum illud monasterium prima vice occurrit anno 1400, annis 1416 et 1467 sorores eius vocantur „conversae apud Stam. Mariam Egiptiacam juxta hospitale S. Mariae Magdalenae“. In posterum haec pauper domus promiscue nuncupatur aut „Stae. Mariae Egiptiacae“, aut „Stae. Mariae Magdalenae“.

Opinamur rem ita se habuisse. „Albae Dominae“ Ultrajectenses, mox et virgines famae illibatae assumpserunt, quae paulatim praevaluerunt, ita ut conventus, infamiam sui originis erubescens, paenitentes renuerit amplius accipere, et immo nomen ordinis, hanc infamiam semper revocans, studuerit deponere vel mutare¹⁵⁰⁾. Senatus urbis igitur circa annum 1400 fuit coactus, aliud asceterium condere ad paenitentes recipiendas, cui primitus nomen alius sanctae paenitentis est impositum. Cum vero moniales Stae. Magdalenae paulatim se nuncupaverint „Albas Dominas“ tantum, tacitis omnino ordine et patrona, coenobium Stae. Mariae Egiptiacae patrocinium vicini hospitalis adoptavit¹⁵¹⁾, in qua sorores eius forte servierunt.

Conventus Albarum Dominarum saeculis XV et XVI, erat exclusive nobilis; circa annum 1570, priorissa immo titulum abbatissae sibi vindicavit. Guicciardini, qui paulo ante scripserat primam editionem libri sui, hunc conventum in ea nescit. In secunda tamen primus autumat, tacitis tamen nominibus, in Ultrajecto extare duo asceteria pro domicellis nobilibus, unum Ord. Cist., alterum Ord. Praem.¹⁵²⁾. Van Heussen non dubitavit hoc alterum esse conventum Albarum Dominarum; unde haec attributio evasit communis¹⁵³⁾. Guicciardini quidem est auctor nequaquam spernendus. Sed quoad loca a sede sua Antwerpiensi magis distantia,

¹⁵⁰⁾ Quam evolutionem, tunc ceteroquin generalem in Ordine Paenitentium (cf. SIMON o. c. infra), clare possumus sequi apud asceterium Stae. M. Magdalenae in Nijmegen, de quo vide supra.

¹⁵¹⁾ Quae omnia mihi benigne communicavit D. J. W. C. van Campen, archivarius civitatis Ultrajectensis.

¹⁵²⁾ Ed. 1581, p. 357: „... conventi di diversi ordini et professioni, tanto d'huomini, che di donne, fra quali li due ampli, et magnifici Munisteri di gentildonne, et d'altre principali borghese della terra che si chiamano Damiselle, l'uno dell' ordine di S. Bernardo, l'altro dell'ordine Premonstratense...“

¹⁵³⁾ Confer totam bibliographiam infra allatam.

et in additionibus pro secunda editione ab aliis allatis, non caret mendis, insuper non est certum, eum loqui de nostro conventu. Multa enim asceteria erant in civitate, quorum complura nobilitati erant reservata.

Si autem revera loquitur de Albis nostris Dominis, quod est possibile, eum aliquomodo recta proferre, nolumus excludere. Moniales enim illae, ad ordinem Paenitentium Stae. Magdalenae nullo modo pertinere volentes, canonice carebant statuto determinato. Exegit auctoritas ecclesiastica, omnes communitates religiosas nomen dare alicui ordini approbato, et ita moniales nostrae, aut alicui Ordini se iunxisse dixerunt, aut se ad illum pertinere saltem finxerunt¹⁵⁴). Eas enim hunc transitum rite fecisse vix est credibile, quia secus absque dubio et illae in suis documentis et sigillis coram Sta. Sede et Episcopo nomen ordinis patefecissent, et ordo ad quem transierunt, pariter de hoc transitu vestigia authentica in uno alterove documento reliquisset.

Hae Albae Dominae tamen revera videntur per saecula vixisse absque ullo ligamine ordinis, et fieri potuit, ut, interdum interrogatae, ad quem ordinem spectarent, respondisse se esse Praemonstratenses; vel forte, illis faventibus, falsa opinio publica huiusmodi paulatim efformata est, propter albas earum vestes. Guicciardini, qui non erat historicus proprie dictus, et plura conscripsit hinc illic audita potius quam in archivis scrutata, tali modo forte erat informatus.

Jure igitur merito censemus, has Albas Dominas, tamquam Praemonstratenses, esse valde dubias, immo potius praetermittendas¹⁵⁵).

Archivalia: Rijksarch. Utrecht vide de HULLU l. c. — Extat imago ecclesiae saec. XVIII apud LELONG vol. VI'

Litteratura: HUGO I 144 — WAEFELGHEM 328 — BROM *Arch. Italië* I 149 — IDEM, *Reg. Utr. cf. ind.* — IDEM, *Bull. Traj.* no. 1180 — De FREMERY no. 163 — HEERINGA II 298 — HEIJMAN, *Uerspr.* 29 — v. HEUSSEN *Hist. Episc. Ultr.* I 98/99, praebet breve necrologium — IDEM, *Batavia Sacra* II 116 — MATTHAEUS *Anal.* II 604 — v. MIERIS II 229 — *Mon. Bat.* II 189 — MULLER *Reg. Rek.* 423, 681, 1696 — IDEM, *Reg. Bisch.* 706, 1897, 5201 — OHZ II 449 — VERMEULEN Nr. 607 — J. H. HOFMAN, *De Witte Vrouwen te Utrecht*, AAU XXXII (1907) 117/230 — J. de HULLU /

¹⁵⁴) Qui casus haud erat singularis. Canonissae saeculares v. g., in Germania late diffusae, libenter coram Sta. Sede finxerunt se esse O. S. B., O. Cist. vel O. S. A. Confer quod diximus apud Lindow vol. I 248.

¹⁵⁵) Cui secundae sententiae favet Dr. van Campen, archivarius supra laudatus.

S. WALLER ZEPER, *Catalogus der Archieven der kleine kapittelen en kloosters*, Utrecht 1905, 183/86 — A. v. LOMMEL, *Het Wittevrouwenklooster te Utrecht annis 1556 et 76*, AAU III (1876) 398 — *Inventaris der obligatieen en effecten toebehoord hebbende aan de verschillende kloosters van Utrecht*, ibidem VI (1879) 257/304.

VENLO Stus. Spiritus

civitas in Limburgo neerlandico, Dioc. Leodiensis, dein Ruremundana. Ab anno 1715. pertinet ad Neerlandiam.

Asceterium fundatum forte tamquam begginagium ante annum 1413¹⁵⁶⁾, secundum alios autem versus finem saeculi XV¹⁵⁷⁾, in angulo platearum „Hl. Geest-“ et „Jodenstraat“ vulgo dictarum. Anno 1711, ei committitur capella adiacens ad Stum. Spiritum; ab anno 1753, habuit scholam pro puellis; anno 1793 devastatum, et anno demum 1797 suppressum est. Auctores recentes hanc domum addicunt Ordini nostro; qui error originem suam habet in libro infra citato F. KEULLER. In quem inductus fuit probabiliter hic auctor, eo, quod hae sorores de facto erant sub directione spirituali parochorum Venloensium, qui erant canonici Averbodienses. Atqui ex Archivo Episcopali Ruraemundano clare patet, has sorores fuisse „Religiosas Tertiae Regulae Sti. Francisci“¹⁵⁸⁾. Asceterium nihil habuit commune cum Ordine nostro, quoad omnia suberat episcopo, et jurisdictio parochorum in illud erat delegata tantum.

Archivalia: Bisch. Arch. Roermond, Kloosters XI, Hl. Geest Venlo.

Litteratura: HABETS III 678 — HEJMAN *Verspreiding* 29, 31 — *Mon. Bat.* II 196 — G. D. FRANQUINET, *Inventaris der oorkonden in Venlo's archief*, Maastricht 1872, p. 84 — F. KEULLER, *Geschiedenis van Venlo*, Venlo 1843, pp. 358/59 — H. UYTENBROECK, *Bijdragen tot de geschiedenis van Venlo IV* (Venlo 1914), pp. 54/56 — *Publ. Limburg XIV* (1877) 122.

¹⁵⁶⁾ UYTENBROECK l. c. infra

¹⁵⁷⁾ *Mon. Bat.* II 96

¹⁵⁸⁾ Ita eas designat Vicarius Generalis Episcopi Ruraemundani in epistola quadam ex anno 1793, qua sororem asceterii, mendicantem pro restauratione monasterii devastati, clementiae fidelium commendat (Arch. Episc. Roermond, loco supra citato).

WAARSCHOOT

Prope Gandavum, in Flandria. HUGO II 996, 1157 autumat hanc domum fuisse monasterium Ordinis nostri, circariae Brabantiae. Secutus est hac in re errorem GRAMAYE 21, ut iam probat v. BOTERDAEL 17. Waarschoot fuit prioratus Ordinis Cisterciensis. — Cf. SANDERUS, F. I. I 312/13 — WAEFELGHEM 317.

WINDEKE

Windick, hodie Denderwindeke. Inter Ninove et Enghien, Dioc. Cambrai, dein Gent. In Belgio. — Praepositura, filia Viconiae secundum HUGO II 1169, et WAEFELGHEM 327. — Revera fuit mera curia et parochia illius abbatae, et pertinuit potius ad circariam Flandriae.

WINPERGA

HUGO II 1171 dicit, hanc domum fuisse asceterium circariae Frisiae. Revera est corruptela pro Heinsberg, asceterio Ordinis, de quo supra I 170, quod initio pertinuit ad circariam Brabantiae. — WAEFELGHEM 327.

WULPEN

Bethania. SCHOENGEN autumat in suo *Mon. Bat.* II 211, in „hac insula Zelandiae, interea a fluctibus consumpta, extitisse monasterium nostri Ordinis, fundatum anno 1277“. Invocat SANDERUM, F. I. (III 128), ex quo tamen clare patet, hic occurrere confusionem plangendam: Wulpen est enim vicus in Flandria Occidentali, non longe a Furnis, ubi ad tempus floruit asceterium Ordinis, ab abbata Sti. Nicolai Furnensis dependens, de quo vide infra apud circariam Flandriae, sub voce „Veurne Bethania“. Insula „Wulpen“ in Zelandia numquam exstitit.

